

Salzburg (Austria), die 4. November 1923.

Beatissime Pater!

Ordinarius Salisburgensis ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus relationem quinquennalem super statu dioecesis, circa quam decretum S. C. Cons. de die 31. Dec. 1909 et can. 340 C. I. C. exhibent normas, prima vice missurus quae sequuntur explanat.

CAP. I.
Generalia de statu materiali.

1. Significetur nomen et cognomen, aetas et patria Ordinarii; eius institutum religiosum, si ad aliquod ipse pertinet: quando dioecesis regimen susceperit: et si Episcopus est, quando fuerit consecratus.

Ordinario Salisburgensi nomen est Ignatius Rieder, S. Theologiae doctor, 1858 natus in Grossarl, archidioecesis Salisb. sub ditione rei publicae Austriacae. Episcopus auxiliaris consecratus 19. Martii 1911, archiepiscopus electus 12. Aug. 1918, praeconizatus 16. Nov. 1918, Pallio ornatus 17. April. 1919. Anno praecedente 1922 prima vice limina Apostolorum visitavit occasione coetus eucharistici Romae habiti, uti testimonia heic adiecta testantur.

2. Iudicium aliquod generale praebeat de conditione religiosa et morali dioecesis, et utrum aliquis ab ultimo quinquennio religionis progressus vel regressus habitus sit.

Conditio religiosa et moralis archidioecesis mihi concredita tempore vastissimi belli non multum quidem detrimentum cepit sed post initam pacem infelicissimam et imperii Austriaci direptionem status tum religiosus tum moralis in peius delapsus est. Huius infelicis eventus causa non immerito regimini Socialistarum adscribitur.

Attamen Deo adiuvante iterum in meliorem conditionem paulatim surrecturum esse spes affulgere videtur.

3. Indicetur paucis et perspicuis verbis,

- a) origo dioecesis, eius titulus seu gradus hierarchicus cum privilegiis potioribus: sitne archiepiscopalis, quot et quas habeat suffraganeas sedes; si sit episcopalis, cui archiepiscopali suffragetur: si immediate subiecta, cui metropolitano debeat adhaerere pro synodo;*
- b) extensio dioecesis, ditio civilis, caeli temperatio, lingua;*
- c) locus residentiae Ordinarii cum indicationibus necessariis ut epistolae tuto mittantur;*
- d) summa incolarum et praecipua oppida: quot inter incolas sint catholici; et si varii adsint ritus, quot catholici in singulis; et si adsint acatholici, in quot et quales sectas dividantur;*
- e) numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarii;*
- f) utrum et quot capitula canonicorum, aliique sacerdotum coetus ad instar capitulorum sint in dioecesi ;*
- g) quot sint paroeciae vel quasi paroeciae, cum numero fidelium in iis quae maximae vel minimae sunt; in quot vicariatus foraneos aliasve circumscriptiones paroeciae dividantur; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis;*

h) utrum et quaenam instituta religiosa virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sive sacerdotum sive laicorum;

i) utrum et quaenam instituta religiosa mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

Episcopatus Salisburgensis a S. Ruperto Ep. et Conf. anno circiter 696 fundatus a S. Bonifatio Germaniae apostolo finibus circumscriptus (739) et insistente Carolo Magno Imperatore anno 798 a Leone PP III in archiepiscopatum evectus est.

Decursu temporis caractere principali auctus anno 1803 demum saecularizatus, 1825 de novo circumscriptus est et sedes episcopales quinque, Gurcensis, Seccoviensis, Lavantina [sic!], Brixinensis et Tridentina eidem ut suffraganeae attributae sunt, ex quibus sublatis nuper dioecesibus Tridentina et Brixinensi solummodo Sedes Gurcensis, Seccoviensis et Lavantina ut Suffraganae relictae sunt.

Privilegia potiora Metropolitae Salisburgensis in eo consistunt, ut habeat ius nominandi, confirmandi, consecrandi et investendi episcopos suffraganeos suos.

Quoad sedem Lavantinam nuper vacantem ob singulares difficultates hodiernas sine praeiudicio futuro provisio per S. Sedem Apostolicam facta est.

Porro fruitur iure metropolitico et Legati nati S. Apostolicae Sedis ac Primatis Germaniae.

Principatus territorialis quidem anno 1803 sublatus est, attamen titulus principalis remansit, quo archiepiscopi Salisburgenses usque nunc honorantur.

Archidioecesis Salisburgensis per totam provinciam Salisburgensem sese extendit et complectitur insuper partem septentrionalem provinciae Tirolensis, per totum in circuitu habens 9715 Km².

Istae duae provinciae pertinent ad ditionem hodiernae rei publicae Austriacae et in eis ubicumque locorum lingua germana (tedesca) in communi usu est.

Conterminas habet dioeceses Linciensem (sub metropoli Vindobonensi) ad septentrionem et orientem, Seccoviensem (suffraganeum) ex parte orientali, Gurcensem (suffr.) ad meridiem, Brixinensem (olim suffr. nunc immediate S. Sedi subordinatam) versus occidentem.

Archiepiscopus residet in urbe capitali provinciae Salisburgensis nomine Salzburg (Salisburgum).

In tota archidioecesi numerantur 300.000 incolae, ex quibus 293000 ecclesiae catholicae, 7000 circiter sectis acatholicis adscripti sunt (Protestanticae, veterocatholicae, Iudaicae).

Inter Oppida praecipua praeter capitalem eminent urbes Hallein, Radstadt, Kitzbühel, Kufstein, Rattenberg.

Numerus sacerdotum saecularium est 480, regularium 137, clericorum et alumnorum Seminarii maioris 46.

Praeter capitulum metropolitanum adest unum capitulum collegiatum in Mattsee et coetus Canonorum ecclesiae collegiatae Seekirchen, qui tamen non constituunt capitulum.

Parochiae numerantur 187, quasi parochiae (Capellaniae, Curatae) 6. Numerus animarum catholicarum in maxima parochia (civica) ascendit ad 15.000, in minima (rurali) parochia non ultra 130.

Tota archidioecesis dividitur in 20 decanatus foraneos, quorum 15 in provincia Salisburgensi, 5 in parte Tirolensi constituti sunt.

Praeter ecclesias parochiales (187) numerantur 335 ecclesiae filiales, monasteriales et oratoria publica.

Inter loca magis celebriora ob maximum peregrinantium concursum eminent ecclesiae thaumaturgae B. M. Virginis in Kirchentail, Mariastein, Mariaplain.

Quod attinet ad instituta religiosa virorum enumerantur duo monasteria O. S. B. ad S. Petrum Salisburgi (36 sacerdotes, 5 clerici, 16 fratres laici) et ad S. Michaellem loci Michaelbeuern (22 sac., 3 cler., 2 fratres), unum hospitium Patrum Servorum B. M. V. in oppido Rattenberg (3 Patres), unum monasterium Fratrum Minorum O. S. Fr. Salisburgi (14 PP, 6 Cler., 9 fratres laici) et hospitium eiusdem ordinis in Hundsdorf (3 PP, 2 fr.), tria monasteria Ordinis Capucinarum in

civitate Salisb. (8 PP, 4 cl., 3 laici, 3 Nov.), Radstadt (5 PP, 3 Laici) et Kitzbühel (6 PP, 2 laic.) et unum hospitium O. Cap. in Werfen (3 PP). Adsunt insuper Missionarii sacerdotes a S. Vincentio a Paulo (6 PP, 6 fr.), Missionarii a Ssmo Corde Iesu cum propria domu in Liefering prope Salzburg (19 PP, 18 fr.) cum studio domestico pro alumnis ad missiones externas educandis. Porro Institutum Missionariorum a societate Verbi Divini ad S. Rupertum prope Bischofshofen (16 PP, 24 ff.) pariter cum studio domestico pro alumnis internis.

Ex congregatione presbyterorum S. Camilli et ex societate patrum Congregationis Ssmi Sanguinis tantummodo tres vel quattuor sacerdotes et fratres numerantur.

Instituta virginum religiosa numerantur sequentia:

Monasterium monialium O. S. B. in Nonnberg, Salisburgi (71 sorores), moniales Ursulinae, Salisburgi (76), Sorores III. Ordinis S. Francisci Capucinatorum ibidem (25), moniales O. Aug. Nostrae Dominae a caritate refugii (ibidem 67) cum instituto puellarum, Congregatio de nostra Domina O. Aug. loci Goldenstein prope Salisburgum (34) cum instituto et schola pro puellis educandis, Congregatio sororum III. Ordinis S. Francisci in Hallein (instit. dioec.) pro educandis puellis in scholis publicis et privatis (190 sorores), Congregatio sororum a S. Vincentio a Paulo in suburbio Mülln (Salisburgi) domus matrix cum 83 filialibus (528 sorores) pro erudiendis puellis ac in servitium pauperum et infirmorum.

Item sorores misericordiae a S. Cruce (30) pro pauperibus et infirmis, Sorores III. Ord. S. Fr. ex domo matrice Vöcklabruck (dioecesis Linciensis) pro erudiendis puellis (40), Sorores III. Ord. S. Dom. a S. Catharina Senensi (institutum dioec.) in urbe Salisb. (28. sor.) pro servitio infirmorum. Sorores III. O. S. Fr. a matre dolorosa nuncupatae in loco Dürrenberg prope Hallein (4 sor.) et Sodalitas S. Petri Claver (48 sor.) pro adiuvandis missionibus externis in Africa.

In toto numerantur 250 personae regulares sexus masculini et 1170 feminini.

CAP. II.

De fide et cultu divino.

4. Utrum divinus cultus libere in dioecesi exerceatur: sin minus, unde obstacula proveniant, a civilibus ne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel acatholicorum (si adsint), vel ab alia causa: quaenam ratio suppetat ad ea amovenda, vel sin minus imminuenda: et num adhibeatur.

Cultus divinus ubique locorum per ambitum dioecesis omnino libere exercetur.

5. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis seu paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Numerus ecclesiarum generatim sufficit necessitati fidelium, praeterquam in civitate Salzburg, ubi recentes urbis regiones propria ecclesia adhuc carent.

6. Utrum generatim ecclesiae et sacella publica satis instructa sint iis quae ad fabricam ac supellectilem pertinent; et quaenam generatim cura habeatur ut eadem munda sint et decenter ornata.

Tam ecclesiae quam sacella publica quoad fabricam et supellectilem satis instructa inveniuntur ac pro posse circa munditiam et ornatum decentem diligens cura habetur.

7. Utrum in singulis ecclesiis inventarium omnium bonorum et supellectilium habeatur, et quomodo custodiatur, ne morte rectoris aut alio quolibet eventu contingat ut aliquid subtrahatur aut disperdatur.

Inventaria bonorum ecclesiarum apud earum rectores custodiuntur et non solum legibus ecclesiasticis sed etiam civilibus cautum est, ne quid disperdatur aut subtrahatur.

8. *Utrum sint ecclesiae in quibus res vel supellectiles habeantur materia, arte, antiquitate pretiosae, praesertim codices vel libri, picturae, sculpturae, opera musiva arte vel antiquitate insignia; quomodo custodiantur; sintne haec recensita in inventariis, et an de iis speciale inventarium penes Curiam servetur.*

Cautumne sit ne quid etiam tenue, sed ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum, sine licentia S. Sedis et iudicio peritorum venumdetur.

Permultae habentur ecclesiae rebus pretiosis antiquis et spectabilibus ornatae sive artis sculpturae, sive picturae, vel gemmis pretiosis eminentes, quae omnia in inventariis recensita inveniuntur quorum exemplaria tam apud parochos, quam in curia archiepiscopali et apud gubernium civile asservantur.

Ne quidquam ex thesauris ecclesiasticis venumdetur tam legibus ecclesiasticis quam civilibus severe prohibetur.

Sed urgente necessitate alienandi unum alterumve obiectum pretiosum praeter licentiam S. Sedis Ap. etiam licentia gubernii civilis requiritur.

9. *Utrum singulis diebus, mane et vespere horis opportunioribus, ecclesiae pateant fidelibus. Utrum debita vigilantia custodiantur ne sacrilegiis, profanationibus aliisve damnis obnoxiae sint.* Usque ad infelicissimi belli finem fores ecclesiae ubique locorum per totam diem apertae erant, ast finito bello furta et sacrilegia adeo increbrescebant, ut in permultis locis ecclesias et oratoria publica immoetiam ecclesiam cathedralem excepto tempore officii divini clausas habere oporteat.

10. *Utrum, dum sacra peraguntur, ita omnibus fidelibus pateant, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine vel rubore libere ingredi, ibique adstare valeat.*

Tempore, quo in ecclesiis sacra peragantur omnibus fidelibus absque ullo gravamine aditus patet.

11. *Utrum aliquando ecclesiae vel sacella adhibeantur ad aliquem profanum usum, ad academicos coetus, musicos concentus, aliaque id genus.*

Hodierno tempore saepius contingit, ut ecclesiae publicae ad musicos concentus adhibeantur, sed in tali casu diligens cura habetur, ne quid scandali oriatur vel usus omnino profanus permittatur. In civitate Salisburgo unum adest oratorium publicum scilicet Aula academica universitatis antiquae, quae hodie vix ad usum sacrum sed plerumque ad coetus et ludos etiam profanos, immo tanquam coenatio vel quasi popina pro scholaribus inservire debet. Novissime vero secta vetero-catholicorum usum illius desiderat.

Quamvis custodia Aulae ad professorem facultatis theologiae spectat, tamen gubernium civile ius dispositionis sibi reservat.

12. *Utrum in omnibus ecclesiis et sacellis in quibus SSma Eucharistia asservari debet vel potest, conditiones a iure requisitae ad conservationem SSmi Sacramenti accurate serventur: et an cura sit ut altare SSmi Sacramenti cultu, munditie et ornatu emineat.*

Conditiones pro asservanda SSa. Eucharistia requisitae generatim diligenter observantur, attamen altaria et tabernacula Sanctissimi nonnumquam ornatu et munditie carent.

13. *Utrum poenitentiae tribunalia collocata sint in patenti ecclesiae loco, et cratibus instructa iuxta canonicas leges.*

Tribunalia poenitentium ubique fere in patenti loco posita et cratibus instructa habentur.

14. Quomodo custodiantur sacrae reliquiae in ecclesiis et sacellis. Utrum ibidem adsint reliquiae sigillo vel documento authenticitatis destitutae, vel plane suspectae. Et an idcirco in Visitatione Ordinarius aliquid decreverit.

Utrum, quod sciatur, penes privatas personas reliquiae insignes servantur; quo iure, et qua cum veneratione.

Reliquiae Sanctorum in arcta custodia servantur et certis tantum diebus et festis solemnioribus ad publicum cultum exponuntur. Reliquias plane suspectas publicae venerationi exponere interdicitur.

Penes personas privatas non raro quidem inveniuntur reliquiae Sanctorum authenticae, sed inter insignes nullo modo numerantur.

15. Utrum in cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus liturgicae leges servantur.

Irrepserintne singulares consuetudines, et quaenam: num hae S. Sedis auctoritate aut vetustissimo usu rite approbatae dici queant, aut saltem toleratae: et si tales non sint, quid fiat ut prudenter deleantur.

Speciatim vero utrum lingua et cantus liturgicus iuxta S. Sedis decreta adhibeantur.

Leges liturgicae in functionibus ecclesiasticis communiter servantur exceptis casibus quando consuetudines inveteratae sine populi admiratione facile aboliri non possunt, quamvis nullo modo tanquam approbatae habendae sint. Ordinario tamen cura est, ut tales extraordinarii abusus paulatim tollantur.

Lingua et cantus liturgicus plurimis locis ad normas ecclesiae Romanae institutus invenitur. Atqui sunt etiam ecclesiae rurales, ubi cantus in lingua vulgari adhibetur quia tum organoedi tum cantores a lingua liturgica abhorrent.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles. Adsintne e clero qui eisdem infecti sint. Quaenam huius mali fuerit vel adhuc sit causa. Quid fiat ut eidem malo occurratur.

Ultimis annis non raro graves errores inter fideles dispergi coeperunt, inprimis sectae acatholicae uti veteres catholici, Adventistae, Spiritistae, Occultistae, homines de rebus divinis liberius iudicantes et alii huius generis similes, errores suos inter gregem christifidelium dispergere conantur.

Ast catholicae religionis fautores et cultores omni diligentia et vigilantia eorum infestationibus occurrere et religionem christianam incolumem servare student.

17. Utrum consilium vigilantiae et officium censorum ad haec praecavenda institutum sit: quibus personis constet: et an diligenter munera sua ipsae adimpleant, et quo fructu.

Consilium vigilantiae et officium censorum ad normam Codicis IC. in archidioecesi institutum est et ex canonicis capitularibus ac professoribus Ss. Theologiae constat, qui quatenus observari potest, munus suum diligenter exercent.

CAP. III.

De iis quae ad Ordinarium spectant.

18. Quibus bonis et redditibus mensa Ordinarii polleat. An et quali aere alieno gravetur.

Quomodo administratio geratur: utrum independenter ab auctoritate civili, necne; an seorsim a ceteris dioecesis vel piorum operam bonis et proventibus, vel cumulate; qua methodo et per quas personas.

Mensa archiepiscopalis non in fundis immobilibus nec mobilibus consistit, sed tantummodo in dotatione a gubernio civili praestita ad normam legis civilis circa emolumenta officialium maiorum pro tempore vigentis.

19. Utrum adsit domus Ordinario dioecesis propria, vel privatam ipse conducere cogatur. In utroque casu num aedes ita instructae sint, ut Ordinarii dignitati congruant, et luxum non redoleant.

Nec domus habitationis archiepiscopalis ad mensam pertinet, sed aerario publico adscripta est.

20. Cum quibusnam personis Ordinarius habitet, et quaenam sit earum vitae ratio.

Ordinarius superiorem domus archiepiscopalis contignationem solus inhabitat, in ceteris aedificii partibus Consistorium archiepiscopale, Cancellariae et archivia locum habent.

Insuper ob penuriam habitationum in urbe potestas civilis in cubiculis vacuis personas laicas collocavit.

21. An, a quibus S. Sedis officiis, et quibusnam specialibus facultatibus et privilegiis ipse qua Ordinarius instructus sit.

Ordinarius a S. Sede Ap. consuetos obtinuit facultates et indulta scilicet:

a./ facultates quinquennales;

b./ dispensandi in matrimoniis mixtis;

c./ concedendi licentiam libros prohibitos legendi;

d./ Indultum recitandi Matutinum cum Laudibus extra chorum in favorem Capituli;

e./ reducendi missas fundatas in favorem Seminarii minoris;

f./ reducendi missas fundatas ad stipendium ordinarium;

g./ retinendi tertiam partem stipendiorum manualium pro ecclesia in Obertrum et favore piorum operum;

h./ dispensandi rectorem Seminarii maioris ab obligatione servitii choralis;

i./ dispensandi fideles a lege ieiunii et abstinentiae;

k./ concedendi Superiorissae monialium Ursularum, ut clauso vehiculo aliquoties praedium rusticum visitet;

l./ commutandi missas cantandas de Requiem cum Vigiliis et Libera in lectas;

m./ substituendi alium sacerdotem in parochorum investitura;

n./ consecrandi altaria privatim et formula breviori;

o./ permutandi exercitia pia varii generis;

p./ dispensandi moniales a lege clausurae in casibus urgentioribus;

q./ dispensandi parochos ab applicatione pro populo festis suppressis in favorem Seminarii;

r./ dilatandi tempus communionis paschalis a prima dominica Quadragesima usque ad dominicam Ss. Trinitatis;

s./ reducendi missas manuales et fundatas ad stipendium ordinarium;

t./ dispensandi cum clericis ob defectum natalium.

22. Quomodo residentiae legi satisfaciat.

Praeceptum servandi legem residentialem adamussim observatur, cum Ordinarius excepto tempore canonicae visitationis vix ultra quindecim dies a curia absit et extra dioecesin fere nunquam proficiscitur nisi excipias conferentias episcoporum Austriae semel per singulos annos habendas.

23. *Quoties consuescat in cathedrali templo vel alibi sacris functionibus interesse aut pontificalia peragere.*

Archiepiscopus non solum in festis Pallii functiones in ecclesia cathedrali ipse peragere solet, sed etiam in aliis ecclesiis civitatis extraordinarias solemnitates saepius per annum vel ipse celebrat vel praesentia sua illustrat.

24. *Qua frequentia sacris concionibus et pastoralibus litteris clericum ac populum instruat. Et quatenus sit impeditus a praedicando, an per alios opportune suppleat.*

Litterae pastorales regulariter semel per annum inchoante tempore quadragesimali eduntur, sed et aliis temporibus quoties extraordinaria occasio urget.

Ordinarius etiam certis diebus festis in ecclesia cathedrali concionem ad populum habet et, si quando ob corporis infirmitatem impediatur, episcopum auxiliarem vel unum ex canonicis ad concionandum invitare solet.

25. *Quot et quales adsint in dioecesi casus reservati: et quibus Ordinarius committat facultatem ab eisdem absolvendi.*

Casus reservati Episcopo pro tempore non amplius habentur.

26. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et utrum pro dioecesis conditione petitionibus fidelium satisfacere ipse per se valeat: et, si ipse non valeat, quomodo et per quos suppleat.*

Utrum in huius sacramenti collatione canonicae regulae de aetate confirmandorum ac de patrinis serventur.

Sacramentum confirmationis singulis annis diebus Pentecostes et sequentibus in ecclesia cathedrali ab ipso Ordinario adiuvante episcopo auxiliari, si opus est, administratur, extra urbem vero in illis locis dioeceseos, ubi anno currente visitatio canonica habenda est. Etiam in hoc munere Ordinarius ab Episcopo auxiliari iuvatur.

Quae circa aetatem confirmandorum et quoad patrinos praescripta sunt accurate servantur.

27. *Utrum ipse per se vel per alium Episcopum sacras ordinationes contulerit.*

Et in hoc peragendo, dum studuit dioecesim locupletare idoneorum sacerdotum copia, utrum sartum tectum servaverit Tridentini Concilii praescriptum non promovendi qui non essent necessarii vel utiles ecclesiae pro qua assumuntur.

Sacras ordinationes, quoad fieri potest, Ordinarius ipse conferre studet, si vero impeditus est, episcopum auxiliarem substituit.

Regulae Concilii Trid. circa ordinationem clericorum stricte observantur.

28. *Utrum ipse per se, vel per Vicarium generalem aut per alios viros a se deputatos totam dioecesim ita visitaverit ut singulis annis vel saltem bienniis de statu singularum paroeciarum certam notitiam habere potuerit.*

An visitando paroecias, praeter ea quae pertinent ad divinum cultum, populi mores, religiosam puerorum et adolescentium institutionem, legatorum satisfactionem, aliaque; visitationem quam vocant personalem cleri peregerit, singulos audiendo, ut cognoscat quae sit eorum vitae ratio, qui spiritus precum, quod studium procurandae proximorum salutis, aliaque.

Ob amplitudinem archidioecesis visitatio canonica quolibet anno certo ordine instituitur ita, ut quovis quinquennio omnes parochiae et ecclesiae totius archidioecesis visitari possint. Insuper decani rurales singulis annis tam ecclesias, quam scholas districtus sui visitare et relationem

facere tenentur. Occasione visitationis sive per Ordinarium sive per decanum fiat, etiam de vita et moribus cleri accurata investigatio fieri solet.

29. Utrum curaverit ut Conciliorum et S. Sedis leges et praeceptiones in dioecesi nota fierent et ab omnibus servarentur.

Leges et praecepta S. Sedis Ap. et Conciliorum per folium dioecesanum edicuntur.

30. Utrum dioecesanam synodum congregaverit; et si nullam coegerit, an, quomodo et quam potestate suppleverit.

Ultima synodus provincialis (anno 1906 habita) eiusque constitutiones et decreta prelo commissa et publicata sunt. Rerum politicarum mutatio, ingruentia bella aliaeque circumstantiae graves impedimento fuere, ne concilia minora dioecesana instituerentur.

31. Si sit metropolitanus, an provinciale concilium, aut saltem collationes seu conferentias episcopales habuerit, et quoties.

Exemplar eorum quae in conferentiis communi consilio conclusa sunt ad S. Sedem (si adhuc factum non fuerit) transmittat.

Propterea in ditione Austriaca conferentiae Episcoporum introductae sunt, quae omni anno in urbe Vindobona convocantur.

32. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate: an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam per servilitatem erga humanas potestates, vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

Archiepiscopus hodiernus cum civili potestate bene se habet et auctoritas ecclesiastica et iurisdictio ordinaria absque omni specie servilitatis immunis servatur.

CAP. IV.

De Curia dioecesana.

33. Utrum habeatur Vicarius generalis qui tum virtutis ac doctrinae opinione tum gradus doctoralis auctoritate polleat: et quot aliis ministris constet dioecesana Curia.

Vicarius generalis in curia dioecesana est episcopus auxiliaris, qui simul munere praesidis Consistorii archiepiscopalis fungitur. Adest insuper Cancellarius archiepiscopalis, Archivarius, Expeditor, scribae et cursor, quibus tota curia constituitur.

34. Utrum et quot adsint examinatores et iudices synodales aut pro-synodales.

His accedunt 12 iudices prosynodales et examinatores ad normam S. Canonum.

35. Utrum adsit tribunal ecclesiasticum cum suis administris rite constitutum; aut saltem possit constitui, si necesse sit.

Rite constitutum est tribunal tum metropolitanum tum dioecesanum iuxta leges canonicas cum Officiali, Viceofficiali, 6 iudicibus, Notario et vinculi defensore.

36. Utrum Curia dioecesana aedes proprias convenienter instructas habeat cum tabulario, in quo pars secreta documentorum tuto ac seorsim ab aliis documentis custodiatur. An archivum ipsum sit bene ordinatum.

Curia dioeclesana aedes proprias non habet, sed in palatio archiepiscopali locum obtinet cum cancellariis et tabulariis; Archivum sufficienter ordinatum est.

37. Quaenam taxa in usu sit pro actis Curiae rependendis; an et quando approbata; et an conformis ceteris quae in provincia ecclesiastica aut regione vigent.

Ordo taxarum in Concilio provinciali anno 1906 constitutus a S. Sede unacum constitutionibus synodalibus approbatus est. His miserrimis temporibus ob valorem pecuniae valde diminutum taxas aliquo modo augere oportuit, ut priorem valorem accipiant.

Ordo taxarum synodalis etiam in diöcesibus suffraganeis viget.

38. Utrum Ordinarius cognoscat querelas adesse ob Curiae taxas; et an in re praesertim matrimoniali concubinitus, aut alia mala accidisse sciat ob earum gravitatem seu ob rigorem exactionis earumdem. Quomodo taxarum proventus erogentur.

Circa taxas curiales nullo modo quaerelae abortae sunt, quia pauperes minime gravantur. Proventus taxarum ad sustentandam Curiam, et salarium scribarum et cursoris Consistorii impendi debent.

39. Utrum ex multis, aut ex aliis titulis speciales alii proventus Curiae sint; et quomodo erogentur.

Alios proventus Curia dioeclesana non habet et quia summa taxarum annua non sufficit ad eius sustentationem, aerarium publicum necessariam pecuniam supplere debet, sed insufficienter praestat.

CAP. V. De clero generatim.

40. Referatur generatim quinam sint cleri mores, qui cultus, ac doctrina, quod studium aeternae salutis proximorum, quae pietas: quaenam erga suum Ordinarium Summumque Pontificem obedientia et reverentia: quaenam inter sacerdotes concordia, coniunctio, caritas.

Mores cleri dioeclesani generatim laudabiles eiusque cultus ac doctrina omnino sufficiens ad munera gerenda censetur, pietas erga Summum Pontificem eximia, concordia et caritas, paucis forsitan exceptis, etiam laudibus dignae praedicantur.

41. Utrum vestis talaris adhiberi possit et reapse adhibeatur a clero: et in quolibet casu an clerus habitu proprio et decenti induatur, nec sint hac in re scandala vel dicteria.

Vestis talaris in nostris regionibus solummodo in functionibus ecclesiasticis adhiberi solet. Extra ecclesiam Clerus utitur vestitu modesto et decenti; contravenientes severe monentur.

42. Utrum sacerdotes in missae celebratione praeparationem et gratiarum actionem debite peragant: an serotinae visitationi SSmi Sacramenti assueti sint: qua frequentia ad poenitentiae sacramentum accedere soleant.

Praeparatio ad missam et gratiarum actio ab omnibus sacerdotibus, quantum constat, diligenter peragitur; plurimi etiam visitationem Sanctissimi serotinam facere solent et ad minimum singulis mensibus ad S. Poenitentiae Sacramentum accedunt.

43. Utrum ad spirituales exercitationes statis temporibus omnes et singuli per vices convenient, qua frequentia, et quibusnam in aedibus: an Ordinarius hac occasione salutaria monita sive in communi sive in particulari pro opportunitate clero praebere non omittat.

Exercitia spiritualia pluries per annum instituuntur tam in metropoli, quam in monasteriis extra urbem et diligenter a sacerdotibus frequentantur.

Praeter communia exercitia in seminario maiori etiam pro singulis sacerdotibus in monasteriis piaer collectiones habentur. Ut ab omnibus praerceptum triennialium exercitiorum observetur, exaratus est elenchus eorum, qui in eis partes habent, et si quis ultra triennium exercitia praertermisit illico nominatim monetur.

44. Utrum collationes seu conferentiae ecclesiasticae de quaestionibus moralibus, seu casibus conscientiae, itemque theologiae et liturgiae habeantur: qua frequentia, qua methodo, quo fructu.
Conferentiae sic dictae pastorales quovis anno habentur in singulis decanatibus ubi praesente decano rurali casus morales et quaestiones theologicae, liturgicae et pastorales discussioni subdiciuntur tam oretenus quam in scriptis.

45. Quae Ordinarii cura sit de iunioribus sacerdotibus, ut postquam sacerdotio initiati sunt studia non deserant, et pietate adhuc proficiant.

Ne sacerdotes iuniores studia praemature deserant, examina triennalia in Cod. I. C. praercripta singulis annis habentur.

46. Pro emeritis sacerdotibus infirmis et pauperibus an domus aliqua habeatur in qua recipiantur et debita caritate sustententur: an saltem redditus speciales constituti sint quibus eisdem subveniatur.

Domus pro emeritis et pauperibus sacerdotibus pro tempore non habetur, quia omnes fere absolutis laboribus pensione ex fundo religionis donantur, et si quis tali pensione de iure non frui potest ex fundo seminarii maioris sustentationem utique minimam accipit.

47. Utrum adsint sacerdotes, qui quamvis viribus et iuvenili aetate polleant, otiosi tamen vivant, adeo ut inutiles vel etiam noxii dioecesi sint: quaenam huius rei sit causa, et an et quomodo huic malo occurri possit.

Sacerdotes otiose viventes hodierno tempore in archidioecesi non inveniuntur.

48. Utrum adsint de clero qui rebus politicis et factionibus civilibus immodice et indebite se immisceant, cum offensione aliorum et spiritualis ministerii detrimento: et quid factum sit, aut fieri possit ut intra iustos limites contineantur.

Et in dioecesibus ubi una vivunt catholici variorum rituum, aut diversae linguae, vel nationis, an idcirco adsint in clero contentiones et aemulationes: quid fiat ut exstinguantur, et spiritus Christi in omnibus inducatur.

Sunt quidem sacerdotes, qui rebus politicis et factionibus civilibus se ingerere debent, attamen hoc nec indebite nec immoderate fieri solet.

49. Utrum, quod Deus avertat, aliquis habeatur sacerdos qui vitam minus honestam agat, aut agere publice videatur; vel cui imputetur aliquod aliud crimen post ultimam relationem dioecesanam patratum.

Nullane habeatur, quam Ordinarius sciat aut suspicetur in suo clero, violatio legis de observandis et vitandis in satisfactione missarum manualium.

Caveantne sacerdotes nedum a libris, sed etiam a diariis irreligiosis vel impiis legendis, nisi gravis et legitima causa intercedat.

Sed dolendum, aliquos quamvis paucos existere sacerdotes qui vitam minus honestam agunt, quorum unus a fide catholica Apostata factus est, alter Ordinario suo obedientiam canonicam recusans ad conditionem civilem transiit.

Nonnumquam fit, ut unus alterve ex Clero decreta circa satisfactionem missarum manualium et fundatarum vilipendat, sed ulitmis annis vix talis casus obtigit.

Quantum quis scire potest, leges circa libros haereticos et diaria irreligiosa ab omnibus strenue servantur.

50. Quid factum sit tum ad salutarem lapsorum correctionem, tum ad scandali (si adfuerit) reparationem.

Utrum et quoties suspensio ex informata conscientia in quinquennio irrogari debuerit; quo fructu; et quaenam sit regula quae in hoc adhibetur.

Duabus vicibus oportuit suspensionem ab officio irrogare, sed proh dolor! sine salutari effectum, quamvis admonitio paterna non semel tantum praecesserit.

51. Utrum generatim clerus sive ex eleemosynis missarum, sive ex aliis ministerii spiritualis proventibus, aut ex beneficiis ecclesiasticis habeat quo honeste vivere possit.

Nec beneficia ecclesiastica nec eleemosynae Missarum hodierno tempore sufficere possunt ad sustentationem cleri honestam, quia redditus ex fundationibus et publicis hypothecis provenientes ob pretium ad nihilum fere redactum usque ad extremum diminuti sunt. Sed lege civili circa congruam clericalem cautum est, ut saltem animarum curatores, officiales Curiae et Catechistae sufficientem dotationem accipiant.

CAP. VI. De Capitulis.

52. Utrum adsit cathedrale canonicorum capitulum; quot canonicis et dignitatibus constet; et an adsint theologi et poenitentiarum officia.

Existit in civitate Salzburg Capitulum metropolitanum, quod constat 12 canonicis capitularibus, quorum 4 dignitatem obtinent, 2 munera theologi et poenitentiarum gerunt.

53. Quomodo canonicorum, officiorum et dignitatum provisio locum habeat; utrum libere iuxta commune ius, an alia aliqua speciali ratione.

Provisio canonicatum antea per nominationem imperatoris Austriaci facta est, sed nunc abrogata Concordia anni 1855 provisio fit ad normam Cod. I. C.

54. Utrum et quali praebenda singuli fruuntur: et an haec distincte administretur; an potius vigeat regimen communis massae. In quolibet casu an specialis alia communis massa habeatur pro distributionibus quotidianis, pro missa conventuali, pro expensis fabricae et cultus.

Loco praebendae omnes Canonici fruuntur certa pensione ex fundo religionis ad normam legis civilis circa congruam Cleri augendam nunc vigentis.

Distributiones chorales habentur quidem, sed ob diminutionem valoris pecuniae Austriacae ad nihilum fere reductae sunt.

Pro expensis fabricae et cultus ac pro missa conventuali nulli redditus adsunt.

55. Utrum, et a quo tempore capitulum suas habeat constitutiones legitime approbatas, et an eas servet.

Capitulum cathedrale ex anno 1918 ad normam Cod. I. C. constitutiones ab Archiepiscopo approbatas¹ habet easque fideliter servat.

56. Quale sit chorale servitium tam pro recitatione divini officii quam pro missae conventualis celebratione; quotidianum ne iuxta commune ius, an potius intermissum: et quo indulto.

Servitium chorale in ecclesia metropolitana est quotidianum, sed ex indulto S. Apost. Sedis ob circumstantias singulares post bellum infelicissimum adhuc vigentes horis matutinis tantum praestatur exceptis dominicis et festis diebus, in quibus chorus etiam vespertinus locum habet.

57. Utrum, et quot adsint canonici honorarii: an excedant numerum a sacris canonibus statutum.

Canonici honorarii pro tempore 5 numerantur, ergo numerum a S. Codice praescriptum non excedunt.

58. Deficiente cathedrali capitulo, an habeatur consultorum collegium; quot personis constet; quibus aliis ministeriis iidem vacent; et an ita proximi sint civitati episcopali ut facile congregare possint.

Non habet locum.

59. Quanam canonici vel consultores existimatione gaudeant in dioecesi. Utrum ipsi concordēs inter se et cum Ordinario sint; an potius aliquid Ordinarius habeat, quod eorum de agendi ratione doleat.

Canonici omnes non minus ac consultores existimatione apud Clerum et populum gaudere compertum est.

Floret concordia inter canonicos invicem et archiepiscopum.

60. An Ordinarius eos rite convocet, ut in negotiis maioris momenti consilium vel consensum iuxta sacros canones requirat.

In omnibus alicuius momenti negotiis Canonici convocantur et eorum consensus ad normam Codicis I. C. requiritur.

61. Utrum, sede vacante, capitulum libere procedere possit ad vicarii capitularis electionem; an potius, sede vacante, alia sit consuetudo providendi dioecesis regimini, quaenam sit, et quonam iure vigeat.

Hucusque Capitulum sede vacante nullo modo impeditum fuit in electione Vicarii Capitularis.

62. Si alia habeantur in dioecesi canonicorum capitula, dicatur quid de singulis obtineat quoad numerum, chorale servitium, praebendas et redditus capitulares, bonamque existimationem.

Prater Capitulum cathedrale exstat in archidioecesi Capitulum ecclesiae collegiatae loci Mattsee antiquissimum, cuius redditus consistunt in fundis propriis et agricultura. Constat 5 canonicis et praeposito, qui usu pontificalium gaudet.

Adest etiam ecclesia collegiata in Seekirchen cum Praeposito usu Pontificalium insignito et 6 Canonicis, qui capitulum sensu proprio non constituunt et praebendis valde exiguis dotati sunt.

CAP. VII.

De parochiis, earumque rectoribus.

¹ Statt approbatas.

63. *Utrum omnes paroeciae de suo proprio pastore sint provisae: an potius adsint quae ab aliquo viciniore parochio vel ab aliquo canonico ad tempus regantur: quam ob causam: et an idcirco incommoda notabilia aut mala sequantur.*

In praesenti omnes paroeciae proprio pastore sunt provisae.

64. *Utrum provisio paroeciarum fiat per concursum: et quomodo concursus ipse celebretur.*

Provisio paroeciarum fit per concursum.

In archidioecesi Salisb. semel quovis anno concursus generalis habetur.

65. *Utrum adsint paroeciarum seu animarum rectores ad nutum amovibiles.*

Rectores animarum ad nutum amovibiles pauci tantum inveniuntur, omnes fere pastores perpetuo sunt constituti exceptis vicariis parochialibus ad ordines religiosos pertinentes.

66. *Utrum, quibusnam sub conditionibus, et quo iure adsint paroeciae Ordinibus seu Congregat ionibus religiosis addictae.*

Quaedam paroeciae monasteriis O. S. B. subiectae sunt iure incorporationis.

67. *Utrum habeantur paroeciae in quibus cura animarum habitualis penes capitula aliasve personas existat.*

Una habetur paroecia cuius regimen habitualiter penes capitulum est. Paroecia ecclesiae metropolitanae ex dispositione quondam caesaria perpetuo uni ex canonicis capitularibus commissa est, sed minime capitulo cathedrali incorporata est.

68. *Utrum adsint paroeciae obnoxiae iuri patronatus ecclesiastico, vel laico, sive familiari, sive populari, sive regio: quaenam praxis vigeat in earum provisione: an et quaenam incommoda hac de re acciderint.*

Aliquae paroeciae iure patronatus ecclesiastici reguntur, una sub patrono laicali, alia sub patronatu communitatis constituta, cetera sub patronatu rei publicae vel fundi religionis inveniuntur.

Incommoda in hac re hactenus non sunt deploranda.

69. *Utrum emolumenta, quae occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis missarum solemniium, attestationum, publicationum a parochis percipi solent, recognita sint ab Ordinario, vel diuturno usu probata.*

Et an sive ob gravitatem parochialium taxarum, sive ob rigorem exactionis earumdem, inconvenientia aliqua et querelae, praesertim in re matrimoniali et in funeribus, deploranda sint.

Emolumenta occasione administrationis Sacramentorum et functionum parochialium introducta, quae vulgo dicuntur iura stolae, tam ab Ordinario quam a civili potestate recognita et approbata sunt, nec ansam querelarum praebere solent.

70. *Utrum et qua dote certa parochi eorumque ecclesiae generatim honestentur: an potius ex solis stolae incertis et fidelium oblationibus vivere debeant.*

Si bonis immobilibus parochus eiusque ecclesia fruantur, quomodo administratio geratur, et quomodo caveatur pro conservatione patrimonii sacri alterutrius, vel utriusque.

In quolibet casu an parochi habeant quo honeste sustententur et quo expensis occurrant pro animarum cura et pro parochialibus functionibus necessariis.

In tota dioecesi animarum curatores sic dicta congrua clericali fruuntur ex fundo religionis et ex aerario publico iuxta normam legis civilis, qua honesta Cleri sustentatio ordinatur ita, ut, quando

bona immobilia ecclesiastica vel foundationes et redditus stolare non sufficiunt, cetera ex aerario publico suppleantur.

71. Utrum parochi domum canonicam habeant; et an ibi cum parochis eius adiutores una vivant. Et si ita non sit, an et quod studium habeatur ut hoc regimen inducatur.

Parochi omnes domum canonicam propriam habent exceptis paucis locis, ubi in domo parochiali simul scola vulgaris et habitatio ludimagistri collocatae sunt.

72. Utrum, qua lege et qua observantia caveatur, ne quolibet sub praetextu, etiam ratione servitii, iuniores mulieres (etiam consanguineae, si cum parochis adiutores simul vivant) parochiales domus inhabitent aut frequentent: et an cura sit ne in parochialibus aedibus familiae consanguineorum parochi cum filiis et nepotibus degant.

Synodali lege constitutum est, mulieres ratione servitii domestici non infra 30 annos in domo canonica habitare posse, Familiae consanguineae parochorum non unacum parochis degere patiuntur.

73. Utrum libri parochiales adsint in singulis paroeciis, et ibi iuxta canonicas praescriptiones adnotentur quae pertinent ad baptismum, matrimonium ac mortem fidelium.

Speciatim circa matrimonium, an novissima lex servetur qua iubetur de peracto matrimonio inscriptionem fieri in baptizatorum libro ad singulorum nomen.

An habeantur quoque libri confirmatorum et status animarum, itemque tabellae seu libri missarum fundatarum et manualium, iique diligenter redigantur ac serventur.

Libri parochiales iuxta decreta ecclesiastica et ad tramites legis civilis in omni parochia habentur et singulis annis semel saltem a decano rurali inspiciuntur eorumque copiae ad Ordinariatum mittuntur.

Etiam novissima codicis I. C. decreta circa baptismi, confirmationis et matrimoniorum inscriptionem observantur. Libri confirmatorum, qui prioribus annis hinc inde neglecti fuerant, iterum diligenter scribuntur, neque circa tabellas foundationum et missarum manualium ulla querela maioris momenti habetur.

74. Utrum in singulis paroeciis tabularium aliquod adsit, illudque in duas partes, publicam et secretam, divisum, et utrumque naviter custoditum.

Tabularia quidem in omni parochia inveniuntur, sed divisio in secreta et publica non ubique locorum in usu est.

Lege dioeclesana cautum est, ut archivia bene ordinentur et custodiantur.

75. Utrum parochi aliique animarum curatores debitam residentiam servant.

Debita residentia tam a parochis quam a cooperatoribus ad normas synodales servatur.

76. Utrum diebus festis missam pro populo applicent, sacrasque functiones ad diei festi sanctificationem proprias cum zelo et fructu celebrent: potissimum vero an evangelium explicent, et catechesim tam pueris quam adultis tradant, qua methodo, quo fructu.

An adsint hisce in rebus negligentes.

Circa applicationem pro populo, praedicationem verbi divini et puerorum catechesin nulla est querela. Si quando inveniuntur negligentes statim monentur.

77. Utrum in audiendis confessionibus, sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum adsistentia semper praesto sint, nihilque inconveniens, vel nulla querela hac de re habeatur.

Etiam circa administrationem sacramenti poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis generatim nulla querela habetur, nisi interdum in particulari casu aliquid minus convenienter agatur.

78. *Utrum, nisi gravis et legitima causa in aliquo speciali casu obstet, baptismum administrent et matrimonio adsistant in ecclesia, servatis solemnitatibus a Rituali Romano praescriptis.*

In archidiecesi [sic!] Salisburgensi tam baptismus, quam assistentia matrimoniorum servatis Ritualis diocesani [sic!] solemnitatibus in ecclesia peraguntur, excepto tempore frigoris hiemalis, ubi baptismus in sacristia vel in domo canonica confertur.

79. *Quomodo se gerant erga fideles qui, sectis secretis notorie addicti, vel alia quavis de causa extra Ecclesiae sinum viventes, sacramenta in extremis deprecant; et erga eos qui extra Ecclesiae sinum defuncti, christiano more sepeliri a consanguineis velint.*

Sectis haereticis addicti in casu extremae necessitatis sacramenta ecclesiae desiderantes non reiiciuntur, attamen coram testibus haeresin abiurare et potestatem civilem de conversione sua certiore facere debent. Qui vero extra ecclesiam cath. moriuntur, more catholico non sepeliuntur.

80. *Quaenam sit consuetudo in admittendis pueris ad primam communionem: et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri qui sui confessarii et parentum iudicio discretionis sunt capaces a sacra mensa non prohibeantur, nec diu arceantur.*

Ex quo Pius PP X. fel. rec. illud decretum de puerorum communionem promulgavit, uniformis est consuetudo admittendi pueros iuxta regulam Synodi Trid. ad s. primam communionem.

81. *Utrum parochi pro viribus curent fideles suos in fide roborare, ad sacramentorum frequentiam, praesertim ad S. Communionem etiam quotidianam excitare, et in christianae vitae more et puritate continere. Et ad hunc finem, praeter consueta sui officii munera,*

a) an aliquoties in anno, diebus praesertim solemnioribus vel tempore adventus, quadragesimae confessarium extraordinarium advocent;

b) an identidem post aliquam annorum periodum sacras missiones in sua paroecia haberi curent;

c) an pias devotiones ab Ecclesia probatas, ut expositionem SSmi Sacramenti, viam crucis, rosarium, mensem marianum, aliaque similia in sua ecclesia celebrent, et fidelibus commendent: et quaenam magis in usu sint in dioecesi;

d) an studeant pueros, puellas et maioris aetatis fideles allicere ut ad pias uniones, patronatus, sodalitates vel consociationes catholicas se adscribant;

e) an prudenter instituant vel saltem foveant opera socialia, quae Ecclesiae catholicae spiritu aluntur.

Fideles christiani tum concionibus tum ephemeridibus religiosis saepissime invitantur ad frequentiore vel etiam quotidianam communionem.

In Seminariis aliisque piis institutis ista consuetudo iam introducta est et diligenter observatur. Quantum ob praesentem sacerdotum curatorum inopiam possibile est, confessarii extraordinarii certis festis diebus et sacris temporibus praecipue ad preces 40 horarum pro communitate² [sic!] confitentium invitantur.

Plurimis locis quolibet anno decimo institui solent sacrae missiones et exercitia tridua.

² Statt *communitate*.

Inter devotiones apud fideles maxime desiderantur expositiones Sanctissimi vespertinae, exercitium viae crucis, Rosarium Mariale, mensis Marianus et similia, quae in omni fere ecclesia parochiali iam pridem in usu sunt.

Omni studio allaboratur etiam, ut congregationes piae ac sodalitates et confraternitates instituantur, augeantur et foveantur. Vix invenitur parochia, quae his similibusque consociationibus vel saltem operibus socialibus christianis non sit provisa.

CAP. VIII.

ART. I. – De Seminario dioecesano.

82. Paucis dicatur quae sit Seminarii fabrica, novane an vetus, quot alumnis continendis capax, an disciplinaribus et hygienicis regulis respondens, an a servitutibus libera, hortis et atriis ad recreationem instructa.

Si vero dioecesanum Seminarium non unicum sit, sed in maius et minus, vel in plura alia aedificia divisum, exponatur quae sit materialis singulorum conditio.

Exstant in archidioecesi Salisburgensi duo seminaria archiepiscopalia, maius pro alendis clericis, minus ad erudiendos pueros ad statum clericalem.

Seminarium maius ab archiepiscopo Ioanne Ernesto comite de Thun anno 1699 una cum ecclesia propria aedificatum et fundatione auctum in ipsa urbe Salisb. existit, horto et atrio instructum disciplinaribus et hygienicis regulis respondens, ad continendos 56 alumnos capax et usque ad annum 1916 sufficienter dotatum.

Seminarium minus anno 1844 erectum, 1912 extra urbem de novo funditus aedificatum, ultra 300 pueros capere potest, propria ecclesia et oratorio domestico ac horto peramplo instructum, certa dotatione quidem caret sed beneficentia populi christiani sustentatur. Utique hodierno tempore aliter sustentari non posset, nisi etiam externi benefactores (S. Sedes Apost. et fideles Americae septentrionalis) opibus suis succurrerent.

83. Quinam sint Seminarii vel Seminariorum reditus, an, et quali aere alieno graventur: quae pensio ab alumnis persolvatur: quomodo pauperibus subveniatur.

Seminarium maius reditus annuos ex fundatione percipit, seminarium minus annuis collectis et piis legatis sustentatur, quae tamen in praesenti temporum conditione minime sufficiunt.

84. Dicatur quinam sit rector, qualis eius aetas, qualesque sint eius qualitates: quot alii eum in regimine adiuvant: et utrum hi, et quidem omnes, muneri commisso digne satisfaciant, et alumnos in disciplina et pietate instituant; an potius aliquid animadvertendum sit.

Si vero Seminarium a congregatione aliqua religiosa regatur, indicetur quaenam sit haec congregatio, quando, quibusnam conditionibus, et an ex S. Sedis venia curam pii instituti susceperit, et an praefatis conditionibus satisfaciat.

Rector seminarii maioris ex dispositione imperatoris quondam Francisci I. anni 1817 semper ex canonicis ecclesiae cathedralis desumendus est.

Hodierno tempore hoc munus obtinet Balthasar Feuersinger, simul Custos ecclesiae metrop. et praelatus domesticus Suae Sanctitatis, aetatis 61 annorum et necessariis qualitatibus donatus, quem in regimine domestico adiuvat unus Vicerector vel subdirector, sacerdos 48 annorum nomine Joseph Obersteiner, parochus emeritus et in regimine spirituali alius sacerdos 33 annorum nomine Matthias Premm, in S. theol. et philos. doctore [sic!].

Hi omnes muneri commisso digne diligenterque satisfacere student, ita ut nihil vituperandum sit. In Seminario minori regimen domesticum pro praesenti exercetur a direttore gymnasii archiepiscopalis Dr. Joseph Ferner, digno et circumspecto sacerdote, qui in rebus oeconomicis

iuvatur a proprio Praefecto sacerdote, in spiritualibus a sacerdote pio ac devoto et in rebus disciplinariis a tribus praefectis studiorum.

85. Utrum habeatur magister pietatis, vulgo director spiritualis, in Seminario degens et nullo alio officio implicatus; et an, praeter ipsum, sufficiens copia aliorum confessoriorum detur.

Pater spiritualis in utroque seminario propriam obtinet habitationem et victum nulloque alio munere gravatur nisi excipias hodiernum rectorem spiritualem seminarii minoris, qui ex causis satis gravibus simul munere professoris in facultate theologica fungitur. Ceterum praeter illos sufficiens copia confessoriorum nunquam deest.

86. Utrum adsint deputati pro disciplina et pro oeconomia a S. Concilio Tridentino praescripti: et an Ordinarius eorum consilium iuxta iuris praescripta requirat.

Provisum in praecedentibus.

87. Utrum magistri in Seminario convivant, necne: et an quoad eorum idoneitatem, pietatem, agendi rationem (praesertim si Seminarium incolant) aliquid animadvertendum sit.

Magistri Seminarii minoris in illo etiam habitationem et victum accipiunt sed cum pueris non convivunt.

88. Quot sint actu Seminarii alumni: et an inter eos admittantur qui ad statum ecclesiasticum certe non aspirent.

An et quot externi alumni habeantur: qua de causa: et an fieri possit ut et ipsi quam primum Seminarium ingrediantur: interim quomodo vigilantur: an saltem cura sit ut ante sacram ordinationem per aliquod notabile tempus in Seminario degant.

An et quot alumni extra dioecesim instituantur, ubi et qua de causa.

Et vicissim an clerici alterius dioecesis in Seminarium dioecesanum recepti sint, quot, quarum dioecesium, et quibusnam de causis.

Pro tempore in Seminario maiori 43 alumni numerantur, in minori 145 pueri. Certe non aspirantes ad statum clericalem non admittuntur, attamen scholas gymnasiales in Seminario frequentare in singulis casibus eis permittitur.

Externi alumni non habentur nisi in scholis, ut modo dictum est, et quidem ea de causa, quia pro eruditione in litteris pecuniam solvunt et insuper spes adest, ut unus alterve ad statum clericalem se convertat. Numerus puerorum gymnasium archiepiscopale in Seminario minori frequentantium est 176.

In Seminario maiori Externistae non admittuntur.

Pro praesenti nec quisquam extra dioecesin studia sua prosequitur nec alumni aliarum dioecesium recipiuntur.

89. Si unum sit Seminarium, et simul convivere debeant aetate iuniores cum maioribus, an debita cautela adhibeantur, ut seorsim hi ab illis et cum disciplina suae cuiusque aetatis propria instituantur.

Non habet locum.

90. Quomodo pietas et disciplina excolatur in Seminario: quaenam sit sacramentorum frequentia: an, quoties in anno et quomodo spirituales exercitationes fiant.

Pietas et disciplina in utroque seminario pro viribus excoluntur. Sacramentum poenitentiae quavis hebdomade, Ss. Eucharistia quotidie fere frequentari solet.

Exercitia spiritualia pariter singulis annis habentur.

91. *Quot annis, qua lingua, qua methodo, quorum auctorum textibus theologiae et philosophiae studia absolvantur: quot et quaenam disciplinae hisce accessoriae tradantur.*

Quot annis et qua methodo humaniora studia perficiantur: et in his praeter linguas latinam, graecam et propriae nationis an et quaenam aliae disciplinae tradantur.

An clerici in sacris caeremoniis et cantu liturgico instituantur.

Studia theologica et philosophica in publica facultate theologica quadriennio absolvuntur.

Utitur lingua latina exceptis historia ecclesiastica, doctrina catechetica et pastoralis. Traduntur autem a professoribus publicis: Introductio in N. T., Hermeneutica, Theologica fundamentalis, philosophia christiana, lingua hebraica (ad libitum etiam lingua Chaldaica, Syriaca, Arabica), Exegesis tam communis quam subtilis, theol. dogmatica generalis et specialis, Ius canonicum, historia ecclesiastica, theol. pastoralis, ars catechetica, methodica et paedagogica.

His accedunt in Seminario homiletica et liturgia.

Humaniora studia in gymnasio archiepiscopali seminarii minoris traduntur et praeter linguam vulgarem, latinam et graecam etiam Catechismus, Religionis fundamenta, historia biblica, Matthesis Arithmetica, Physica, Geographia, historia mundi et naturae, philosophia propaedeutica, Logica et quaedam accessoria ad libitum docentur.

Tam clerici quam pueri, pro sua quisque conditione ac indole in sacris caeremoniis et cantu liturgico exercentur.

92. *An prohibeantur alumni a lectione librorum ac diariorum, quae quamvis in se innoxia, eos tamen a studiis suis distrahere possunt.*

Lectio librorum et diariorum periodicorum paucis tamen exceptis prohibetur in seminariis.

93. *Utrum Ordinarius saepe Seminarium invisat et alumnos pro viribus ipsemet audiat, ut cognoscat quo spiritu educeantur, quaenam sit eorum pietas, quinam in studiis profectus.*

Quantum fieri potest, Ordinarius personaliter Seminarium inspicere solet.

94. *Quae regulae servantur in promotione alumnorum ad ordines: quale scrutinium habeatur et quale examen, ut constet quinam pietate, scientia, vitae integritate aliisque requisitis sacra ordinatione digni et idonei censeantur: an spirituales exercitationes praemittantur: an interstitia servantur: quo titulo ordinentur.*

Alumni infra tertium annum studii theologici ad Ordines maiores admittuntur et absoluto examine post completum tertium studii annum ex speciali S. Sedis indulto presbyteri ordinantur. Quamlibet ordinationem praecedat examen proprium circa scientiam, idoneitatem, dignitatem candidati nec non exercitia spiritualia praescripta praemittuntur.

Ordinatio communiter fit ad titulum fundi Seminarii.

95. *Utrum ab ultimo quinquennio extraordinarium aliquid in Seminario acciderit sive bonum sive malum.*

Nil extraordinarium accidit per ultimum quinquennium, nisi quod tam ex Seminario maiori quam minori alumni non pauci ad³ servitium militare abstracti sint, quorum aliqui etiam in bello vastissimo perierunt, ceteri vero in seminarium redierunt.

96. *Utrum adsit rusticationis domus, et ibi alumni feriarum tempore adunentur. Ea si desit, an et quae spes sit ut comparetur, et ibi alumni saltem maxima ex parte temporis agant ferias.*

³ Im Original *ad ad*.

Interim dum ad suos revertuntur, an parochi naviter de iis curam habeant, et Ordinarium certiozem reddant de eorumdem agendi ratione: quatenam hac de re normae praescriptae sint in dioecesi.

Domus rustica pro tempore feriarum non habetur, sed omnes in propriam domum patriam se conferunt, paucis tamen exceptis, qui etiam feriarum tempore in seminario commorantur. Parochi ubique locorum stricte tenentur, ut alumnos domi degentes diligenter observent et de eorum vivendi ratione Ordinarium certiozem faciant.

97. Utrum cura sit ut maioris spei clerici, sive ante sive post susceptum sacrum presbyteratus ordinem, in aliqua pontificia studiorum universitate, sive Romae sive alibi, instituantur ut academicos gradus assequantur.

Si adsunt clerici praecipua scientia praediti pro posse curatur, ut ad studia maiora se conferant sive in aliquam universitatem sive Romam, ibique gradus academicos sibi acquirant. Ceterum etiam facultas theologica Salisburgensis iure promovendi ad gradus academicos gaudet.

98. Si qui vero cum Ordinarii venia, vel eius mandato, publicas civiles studiorum universitates frequentant, an pro iis regulae a S. Sede statutae servantur, ut ipsi a perversione custodiantur, et a fide vel ab ecclesiasticae vitae institutis non deflectant.

Pauci tantummodo sunt, qui publicas civiles studiorum universitates frequentant, sed monentur, ut in domo quadam canonica habitent et vitam omnino clericalem prae se ferant.

99. Si clerici servitium militare obire cogantur, quae cautelae adhibeantur ut ii in stipendiis honestam vitam agant prout ecclesiasticos decet; et a stipendiis dimissi sine aliorum periculo utiliter ad Seminarium regredi et ad sacros ordines post debitam ac maturam probationem tute promoveri queant.

Ex quo infelix bellum quinquenne finem accepit non amplius contingit, ut clerici ad servitium militare cogantur.

100. Utrum firma sit regula non admittendi in Seminarium reiectos vel dimissos ab aliis Seminariis vel ab institutis religiosis.

Dimissi ex aliis seminariis generatim non recipiuntur nisi ob causas graves et circumstantias favorabiles si adest spes fundata eos ad statum clericalem revera vocatos esse.

ART. II. – De Seminario interdioecesano seu regionali.

101. Si in dioecesi habeatur Seminarium quo alumni plurium dioecesum, vel totius alicuius regionis conventiant, et ipse loci Ordinarius huic Seminario praesideat, de eius statu fuse referat iuxta quaesita superius relata pro Seminario dioecesano.

Quod si huic Seminario ipse non praesit, indicet cuius immediatae directioni subsit, et exponat quid de eo fama ferat.

Non habet locum.

CAP. IX.

De institutis religiosis virorum.

102. Utrum vitam communem servant, vel habitent soli aut in domibus privatis cum saecularibus: quo habitu incedant: quo modo sustententur: quae sit eorum fama: utrum aliqui in maioribus

ordinibus constituti adsint in dioecesi a suis Praepositis eiecti vel dimissi; et quaenam sit eorum agendi ratio.

Quod attinet monasteria Regularium dicendum est, quod vitam communem omnino servant, habitu ordini proprio incedant, propriis redditibus fruuntur exceptis Conventibus fratrum Minorum S. Francisci et Capuccinorum, qui praeter pensionem annuam valde exiguam ex aerario publico solutam nihil possident et subsidia ad vitam necessaria quaesturare debent.

103. Quibusnam muneribus obeundis se addicant in dioecesi: quo fructu, qua fama: an eorum hospitalia, orphanotrophia, scholae, etc. iuxta canonicas praescriptiones Ordinarii vigilantiae subsint.

Qui curam animarum in parochiis sibi addictis exercent, an in omnibus, quae ad istam curam spectant, ab Ordinario dependeant.

Religiosi O. S. B. fama bona fruuntur et in parochiis incorporatis curam animarum exercent. In omnibus, quae ad curam animarum spectant, Ordinario dioecetano subsunt et ab eodem visitantur.

104. Si religiosi adsint quaestuant, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis servantur, et an aliquid inconueniens in his acciderit.

Decreta circa religiosos quaestuant servantur et nihil inconueniens in hac re invenitur.

105. Utrum aliquod habeat Episcopus cum regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis sive suae, sive sibi a iure delegatae.

Quoad iurisdictionis exercitium pariter nihil inconueniens accidit.

106. Si congregatio aliqua dioecetana adsit, dicatur in quem finem fuerit instituta, an fini suo respondeat, et quo fructu. An in alias dioeceses se diffuderit, et quo vinculo domus extradioecetanae cum dioecetanis nectantur.

Non habet locum.

CAP. X.

De institutis religiosis mulierum.

107. Utrum generatim ita religiose vivant ut fidelium exemplo sint: an forte aliqui abusus irrepserint, praesertim post ultimam relationem, et quinam.

Utrum in monasteriis monialium, Praelatis regularibus subiectis, omnia prout de iure procedant, an aliter; et hoc in casu quomodo provisum fuerit.

Circa monasteria monialium, quae omnia Ordinario dioecetano subsunt, nihil desideratur nisi aliquae relaxationes legis clausurae, quia saepissime collisio cum legibus civilibus, praecipue quando de scholis claustralibus agitur, occurrere solent.

108. Utrum circa clausuram servantur leges canonicae.

Generatim leges clausurae adamussim observantur.

109. Utrum monasteriorum redditus fideliter administrantur: an monialium dotes fuerint persolutae et investitae, et quomodo administrantur.

An ipsae quoque moniales exemptae Ordinario rationem reddant de bonorum administratione iuxta canonicas leges.

Quantum constat, administratio bonorum bene geritur et annuae rationes non solum Ordinario, sed etiam gubernio civili saltem quoad essentialia inspiciendae traduntur.

110. Utrum pro confessione monialium constitutiones et decreta apostolica servantur. Decreta apostolica circa confessiones et confessarios sine exceptione servantur.

111. Quae vitae activae addictae sunt, quibus operibus incumbant, quo spiritu, qua fidelium utilitate et Ecclesiae aedificatione.

Aliquo modo omnes fere moniales praeter primum instituti sui finem etiam vitae activae participes sunt, plerumque in scholis propriis pro erudiendis puellis. Sorores non claustrales etiam in scholis publicis magistrarum munus non raro gerere tenentur. Quae omnia fiunt ad maiorem fidelium utilitatem et ad aedificationem populi.

112. Si adsint quae infirmis in privatorum domiciliis inserviant, aut rem domesticam in hospitalibus aliisque virorum domibus gerant, quomodo caveatur ne quid inconueniens accidat: an cautela ipsae rite custodiantur; an aliquid hac in re deplorandum sit.

Si religiosae adsint quaestuant, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis servantur, et an aliquid inconueniens in his acciderit.

Adsunt congregationes mulierum ad inserviendum infirmis tam in privatis aedibus quam in publicis hospitalibus, sed nihil hactenus inconuenienter actum est.

113. Si instituta mere dioecesana habeantur, an haec cohaerenter ad canonicas leges regantur, in quem finem fundata sint, quo fructu vivant, an etiam extra dioecesim diffusa sint, et an variae domus ab invicem independentes sint, an non.

Habentur etiam instituta mere dioecesana, quorum constitutiones nuper ad normam Codicis I. C. de novo redactae sunt. Ista praecipue inserviunt vel ad erudiendam iuventutem in scholis privatis et publicis vel ad curandos infirmos in domibus privatis.

Institutum sororum III. O. S. Francisci etiam in dioecesin Lincensem diffunditur.

CAP. XI.

De populo generatim.

114. Quinam in universum sint populi mores, et an specialia vitia in eo invalescant, et quaenam.

Mores populi christiani etiamsi vitiis non carent generatim laudabiles habentur. Qui in oppidis habitant, plus aequo indifferentes se habent circa fidem et mores et nimis socordes in exercitiis pietatis inveniuntur.

115. Utrum dominicis et festis diebus fideles generatim abstineant ab operibus servilibus, missam audiant, et eos dies, prout christianos decet, sanctificent.

Si inter varia dioecesis loca differentiae notabiles adsint, hae notentur.

Dominicis et festis diebus ab operibus servilibus fideles abstinent et S. Missam audiunt, sed in civitatibus non pauci numerantur, qui hos dies non amplius ut christianos decet, servare student.

116. Eodem modo referatur quae sit observantia legum abstinentiae et ieiunii, et Paschalis praecepti.

Eodem modo se habet circa legem ieiunii et praeceptum paschale. Extra urbes diligenter observantur, quantum circumstantiae admittunt; in oppidis maioribus facile praetermittuntur.

117. *Pariter indicetur quae sit frequentia ad sacramentalem confessionem et ad S. Communionem in variis dioecesis locis pro diverso personarum sexu, conditione, aetate.*
Idem dicendum de frequentia sacramentorum; sed usus quotidianae sumptionis Ss. Eucharistiae ultimis annis ubique fere maxima incrementa cepit.

118. *Utrum parentes solliciti generatim sint, ut recens nati saltem intra hebdomadam baptismo abluantur: an sint qui nimium differant, aut forte negligant vel prohibeant baptismum ministrari.*
Baptismus parvulorum generatim non ultra 8 dies suspenditur, abusus in hac re vix admitti solent.

119. *Utrum matrimonia mere civilia sive concubinatus habeantur, et qua frequentia. An alii speciales vigeant abusus contra sanctitatem matrimonii.*
Matrimonia mere civilia in nostris regionibus rarissime habentur. Concubinatus vero variis in locis dispersi inveniuntur, maxime inter homines socialismo addictos.

120. *Utrum usus matrimoniorum mixtorum, ubi sunt acatholici, invaluerit, qua frequentia, et an ex legitima venia. An conditio de universa prole in catholica religione educanda servetur. Quenam catholicae fidei detrimenta ex his matrimoniis proveniant. An ab huiusmodi continendis nuptiis parochi studeant fideles avertere.*
Matrimonia mixta quidem hinc inde occurrunt, sed non crebro; conditiones in hac re generatim observantur.

121. *Utrum parentes generatim curent filios suos non solummodo in sinu familiae sed etiam extra, et maxime in scholis, christianis moribus instituere.*
Familiae christianae de educatione liberorum in bonis moribus generatim quidem curam habent, sed ubi indifferentia religiosa locum tenet, etiam educatio christiana negligenter fieri solet.

122. *Utrum fideles qui graviter decumbunt generatim extrema sacramenta deposcant. An, quo numero et quibusnam de causis funera civilia contingant.*
Graviter decumbentes, quoad fieri potest, S. Sacramenta morientium desiderant exceptis iterum familiis indifferentibus.
Funera mere civilia rarissime contingunt, quando nempe morientes sacramenta Ecclesiae cath. certissime et obstinate respuerunt vel alicui sectae religioni contrariae adhaeserunt.

123. *Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium curent fideles ita agere, vel tales eligere, quo religioni et libertati Ecclesiae plene consulatur.*
In exercitio iurium politicarum et civilium christiani fideles, quantum possunt ita agere solent, ut religioni et libertati ecclesiasticae bene consulatur.
Pars vero magis indifferens quoad fidem, huic fini minus respondere solet.

124. *Utrum adsint in dioecesi sectae secretae, praesertim massonicae. An socialismus aliaeque societates ab Ecclesia damnatae in dioecesi radicem fixerint et propagentur. An spiritismi praxis habeatur. Quid fiat ut fideles ab his omnibus avertantur, et quo profectu.*
Sectae secretae, non quidem massonicae, sed potius liberalismo addictae hinc inde inveniuntur. In primis socialismus, atheismus, spiritismus, adventistae, pedem figere tentant et in civitatibus aliquo modo propagentur.
Clerus diligentissime verbo et opere illos impugnat.

CAP. XII.
De iuventutis institutione et educatione.

125. Referatur in primis ac generatim quae sit ratio institutionis et educationis filiorum in dioecesi iuxta usum legesque civiles.

Utrum contra sacrum Ecclesiae et parentum catholicorum ius opponantur christiana iuventutis educationi obstacula; et quid fiat ut haec amoveantur.

Utrum scholae distinctae iuxta sexum sint, an utrique sexui communes: quae mala inde sequantur: et quaenam remedia adhibeantur.

In re publica Austriaca legibus de die 25. V. 1868 et 14. V. 1869 scholae sic dictae interconfessionales introductae sunt ad quas pueris cuiusvis religionis aditus patet et in quibus praeceptores acatholici iuventutem catholicam erudire non prohibentur.

In praxi utique generatim ludimagistri catholici adhibentur, sed in munere docendi iuxta leges omnino indifferentes se habere debent.

In oppidis maioribus scholae separatae tum pro pueris tum pro puellis existunt, in pagis extra urbes pueri et puellae in scholis mixti inveniuntur, nisi adsit praeter scolam publicam alia privata pro puellis.

126. Si agatur de dioecesi in catholica natione constituta, dicatur utrum ibi scholae publicae primordiorum, vulgo elementares, bonae vel innoxiae generatim sint, et an ibidem per ecclesiasticos viros aut idoneos magistros christiana doctrina digne tradatur: an potius noxiae sint.

Et in hoc casu an scholae liberae habeantur: quomodo sustententur: a quot alumnis frequententur: an Ordinarii vigilantiae et inspectioni subsint.

Scholae elementares generatim bonae et innoxiae habentur et in eis ad normam legis civilis instructio catechetica certis per hebdomadam horis fieri debet.

Scholae liberae usque nunc non habentur.

127. Si agatur de dioecesi ubi catholici cum acatholicis commixti sint, an catholici scholas proprias primordiorum habeant, et quinam sit earum status.

Et si scholas proprias non habeant, et frequentare cogantur scholas publicas mixtas, an saltem catholica fides ibi non offendatur, et catholicis alumnis iusta libertas relinquatur ut in fide per ecclesiasticos viros vel idoneos magistros instituantur.

Praeter scholas publicas non pauca⁴ habentur scholae privatae praecipue pro puellis a congregationibus religiosis sustentatae, quae etiam iure publicitatis gaudent. Insuper in aliquibus scholis publicis magistrae ex congregationibus religiosis a potestate civili ordinatae sunt et sustentationem ex aerario publico obtinent.

128. Quod si pueri et puellae scholas publicas primordiorum adire cogantur, quae noxiae sint, quid fiat ut iuventus a perversione et corruptione immunis fiat.

Sunt denique liberi, qui scholam acatholicam frequentare tenentur, sed pro eorum eruditione religiosa per proprium catechetam catholicum bene provisum est.

129. Utrum scholae mediae vel superiores quae in dioecesi habentur, vel ad quas dioecesani confluere solent, hostiles sint, vel non, catholicis veritatibus et doctrinis.

⁴ Statt paucae.

Et si sint hostiles, quid fiat ut adolescentes ab erroribus et vitiis praeserventur. An habeantur scholae mediae vel superiores catholicis propriae: et quinam sit earum status.

Scholae mediae in dioecesi existentes plerumque indifferentes se habent, attamen observandum, quod aliqui magistri data occasione etiam malum influxum exercent.

Praeter scholas publicas exstant etiam scholae maiores privatae e. gr. Gymnasium archiepiscopale pro pueris in seminario minori educandis, gymnasium pro puellis, schola propaedeutica pro erudiendis magistris scholarum feminis.

Quae scholae privatae catholicae omnes fere iure publicitatis gaudent et ab aerario publico dotationis partem accipiunt.

130. Utrum opera quae post-scholaria dicuntur, ut recreatoria, circuli, scholae catecheticae, oratoria serotina et festiva, ad sanam christianae iuventutis institutionem et praeservationem in dioecesi habeantur; quaenam, et quo fructu.

Opera postscholaria utique habentur sed maxime tanquam opera socialia variis associationibus laicis christianis propria.

CAP. XIII.

De piis sodalitatibus aliisque religionis consociationibus.

131. Utrum adsint piae sodalitates aliaeque religiosae consociationes rite institutae: quot et cuius nominis: an habeantur eae quae a S. Sede potissimum commendatae sunt, ceu illae a SSmo Sacramento, a Rosario, a christiana doctrina, aliaeque pro pueris et puellis in fide, pietate, morumque puritate excolendis.

Piae sodalitates religiosae in omni fere parochia habentur et in maioribus oppidis earum plures inveniuntur inter quas eminent confraternitates Ss. Sacramenti, Ss. Cordis Iesu, Ss. Rosarii, Sodalitates Marianae pro utroque sexu.

132. Utrum erectae sint in ecclesiis paroecialibus et religiosorum, vel habeantur etiam quae in propriis et distinctis ecclesiis existant.

An in ecclesiis monialium sodalitates virorum adsint, et qua facultate.

Praeter sodalitates in ecclesiis paroecialibus erectas permultae etiam in domibus piis vel ecclesiis Religiosorum et Monialium introductae sunt potissimum in usum iuventutis christianae, quae scholas monialium publicas vel privatas frequentare solent⁵.

In ecclesiis monialium confraternitates virorum non habentur, attamen pro utroque sexu.

133. Utrum ab auctoritate ecclesiastica iuxta canonicae legis praescripta debeant: quem fructum afferant: an forte aliquod gignant incommodum.

Omnes confraternitates et sodalitates ab auctoritate ecclesiastica erecta⁶ sunt et sub directione sacerdotali magnam afferunt utilitatem spiritualem.

134. Utrum adsint tertiarium in saeculo viventes, cuius ordinis, quo fructu: an saepe congregentur, et an sint exemplo fidelibus.

In civitate et in aliquibus parochiis ruralibus non pauci dantur Tertiarium in saeculo viventes, qui quovis mense proprio coetus habent et pia exercitia.

⁵ Statt *solet*.

⁶ Statt *erectae*.

135. Utrum in aliqua pia sodalitate vel tertio ordine adsint, et in fratres seu sodales recipiantur, qui notorie addicti sint sectis ab Ecclesia damnatis, vel religioni adversi aut inhonestae vitae sint. Et quid fiat ut hoc malum avertatur.

Non habet locum.

CAP. XIV.

De piis legatis et eleemosynarum collectionibus.

136. Utrum habeantur in dioecesi pia legata missarum, aliorumve religiosorum onerum, et an de iisdem Curia dioecesana indicem habeat cum recensione onerum et indicatione reddituum.

Pia legata missarum hodierno misero tempore pauca tantum obvenire solent. Parochi tamen iubentur, ut de piis legatis aliisque eleemosynis maioris ponderis Ordinarium certiores faciant.

137. A quibus generatim administrantur, an fideliter et fructuose.

Administratio eorum plerumque apud parochos est, aliqua etiam a communitate civili administrantur.

138. Utrum missis legatorum aliisque obligationibus intra praescriptum tempus regulariter satisfiat: et si hoc nequeat fieri, an redditus praesertim missarum fundatarum Ordinario tradantur: an adsint qui hac de re ad officium revocari mereantur, aut revocati iam sint, et quo fructu.

Obligationibus missarum fundatarum et manualium satisfacere curatores animarum omnesque sacerdotes strenue iubentur et si quae ultra annum supersint, statim ad Ordinariatum mittere debent. Raro contingit, ut unus alterve sacerdos in hac re vituperandus sit.

139. Utrum et quo fructu fiant in dioecesi piae collectiones eleemosynarum a S. Sede praescriptae vel commendatae pro communi Ecclesiae bono, ut, pro Fidei propagatione, pro sancta Infantia, pro redemptione captivorum, pro obolo S. Petri, pro Terra sancta.

Collectiones eleemosynarum a S. Sede pro communibus ecclesiae necessitatibus praescriptae fideliter et cum successu singulis annis certis temporibus habentur.

140. Utrum fiant collectiones speciales pro ipsius dioecesis necessitatibus, ut, pro fidei conservatione, pro praeservatione ab erroribus et cleri pro sustentatione, si opus sit.

Etiam collectiones speciales pro necessitatibus dioeceseos nonnumquam institui debent, imprimis pro ecclesiis incendio devastatis, pro seminario minori, pro variis operibus christianae caritatis.

141. An et quanam aliae collectiones eleemosynarum in dioecesi usuveniant.

Si religiosi vel religiosae quaeritantes habeantur, an tot sint numero ut nimium gravamen fidelibus afferri videatur.

Praeter collectiones modo recensitas etiam ab auctoritate civili hinc inde collectiones in ecclesiis ordinantur praecipue in favorem pauperum et operum caritatis.

CAP. XV.

De operibus piis et socialibus.

142. Utrum hospitalia, orphanotrophia, brephotrophia aliaque similia caritatis instituta in dioecesi fundata sint; et an dependeant ab auctoritate ecclesiastica iuxta S. Concilii Tridentini

praescripta. Et nisi dependeant, referatur an in iis quae a materna Ecclesiae protectione et directione subtracta sunt, catholici spirituali adsistentia frui saltem libere possint.

Adsunt non pauca hospitalia, orphanotrophia, mons pietatis et similia olim ab archiepiscopis Salisburgensibus fundata et dotata, quae sublato eorum principatu territoriali in potestatem civilem (imperii Austriaci) transierunt et nunc per totum sub inspectione et directione gubernii civilis sunt.

Attamen in plurimis huius generis institutis sorores ex congregationibus religiosis pro servitio languidorum et infirmorum, infantium et senescentium ordinatae sunt et circa assistentiam spiritualem omnino provisum est tam per capellanos proprios quam per parochos locorum.

143. Utrum adsint in dioecesi opera illa quae socialia dicuntur quibus dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut, asyli pro infantibus, patronatus pro iuvenibus utriusque sexus, circuli pro iuventute catholica, aut pro studiis peragendis, consociationes operariorum, agricularum, mulierum in hunc vel alium pium finem vel mutuuum subsidium, arcae nummariae, aliaque similia.

Neque desunt opera socialia permulta, quibus consulitur tum bono morali tum utilitati temporali e. gr. asyla pro infantibus, patronatus pro iuventute utriusque sexus, refugia parvulorum, refugia puellarum periclitantium, consociationes operariorum, agricularum, famulorum famularumque, iuventutis studiosae aliaque huius generis, inter quas eminent organisationes feminarum et agricularum.

144. Utrum consociationes et opera haec socialia, et potissimum qui eis praesunt, debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam praestent, et in iis quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt, S. Sedis directioni et moderationi omnino subsint.

Omnes fere consociationes sociales sub directione sacerdotali constitutae sunt vel saltem consultores spirituales ex clero habent, quare circa debitam erga S. Sedem Apostolicam et Ordinarium reverentiam non est querela.

145. Cura ne sit ut hisce consociationibus et operibus praeficiantur qui non nomine tenus, sed corde et opere catholici sint. Et an caveatur, quatenus opus sit, ut qui hisce consociationibus et operibus adscripti sunt, aut beneficia et subsidia ab iis nanciscuntur, a vitiis recedant, in fidei doctrina instituantur, et christianam vitam ducant.

Omnia quantum possibile diligenter observantur.

146. Utrum caveatur ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur sectis secretis adscripti, increduli, impii vel religioni adversi, qui consociationes ipsas vel earum opera a recto fidei et iustitiae tramite deducere possint.

De his ne minima quidem suspicio habetur.

CAP. XVI.

De editione et lectione librorum et diariorum.

147. Utrum in dioecesi edantur libri, ephemerides, illustrationes, diaria obscena vel impia, vel utcumque religioni noxia; a quibus, et quali cum diffusionem et detrimento.

Non negari potest, proh dolor! in dioecesi etiam diaria impia et ephemerides fidei catholicae noxiae pervulgari, maxima a Socialistis et sectis acatholicis, quibus non exiguum detrimentum gregi christiano affertur, attamen totis viribus allaboratur, ut etiam ephemerides et diaria catholica ubicumque locorum diffundantur.

148. Utrum libri et diaria impia vel obscena aliarum civitatum dioecesim ingrediantur, ibique diffusa sint, et quaenam potissimum sint.

Tales ephemerides, libri et diaria fidei vel moribus noxia in ipsa dioecesi paucissima tantum imprimuntur et eduntur, plurima et quidem pessima, obscœna et impia ab externis regionibus introducuntur et in publicis tabernis pervulgantur.

149. Utrum strenue a catholicis agatur et praesertim a parochis et a sacerdotibus, ut libri et diaria obscœna vel impia a dioecesi removeantur, adhibita etiam, si fieri potest, civilis auctoritatis opera.

An cleri et maxime confessariorum cura sit ut libri et diaria obscœna vel impia a catholicis familiis arceantur, et a fidelibus non legantur.

Quod attinet animarum curatores nihil praetermittitur, quo studium suppressendi vel amovendi talia diaria prout supra maxime foveatur, quod vero potestatem civilem attinet, deploranda est eius negligentia et indifferentia in istis rebus.

Confessarii et omnes sacerdotes pro viribus curabunt, ut libri et diaria obscœna et fidei contraria a familiis catholicis arceantur.

150. Utrum libris et diariis noxiis alia opponantur religiosa et honesta: quot sint, quomodo diffusa et quo fructu.

Ad impugnanda diaria mala per societatem ad edendos et pervulgandos libros et ephemerides catholicos institutam omni studio allaboratur, ut diaria catholica, folia religiosa, imagines sacrae per singula loca diffundantur, et vili pretio divendantur.

Itaque non absque sufficienti ratione affirmari potest, in archidioecesi Salisburgensi circa res fidei et morum usque nunc omnia bene se habere, praecipue extra urbes in locis ruralibus, non tamen adeo in maioribus oppidis, ubi Socialistae et sectae acatholicae populo christiano immixtae inveniuntur.

Sed Deo omnipotente adiuvante etiam in posterum pro viribus allaborabitur, ut grex Christi ab hostium insidiis incolumis servetur.

Sanctitatis Vestrae

humill. devotiss. et obed.
servus

+ Ignatius Rieder
Archiepiscop.

Antonius Keil
episc. auxiliaris
et vicarius generalis

Christianus Greinz
Cancellarius aepplis.

Salzburg (Austria); die 18. Nov. 1923.

Beatissime Pater!

Liceat mihi Archiepiscopo Salisburgensi ad pedes Sanctitatis Vestrae prostrato porrigere
„relationem quinquennale“ de statu dioecesis meae.

Status dioecesis quoad fidem et religionis officia bonus et ordinatus, generatim loquendo, dici
potest, quamvis multa adhuc sint desideranda.

Certe pro viribus meis laborare non desistam, ut subditus populus pro nativa sua bona indole
fidem servet integram, pietatem colat et in suo amore erga Apostolicam Sedem permaneat.

Anno elapso occasione eucharistici conventus Romam veni et ut adiecta scripta testantur, limina
Apostolorum visitavi et cum animi consolatione recordor audientiae, quam Sanctitas Vestra mihi
praebere dignata est.

Hoc anno laboro magna pedum infirmitate et vix incedere possum, ideo supplico, ut Sanctitas
Vestra dignetur me a personali visitatione benigne dispensare.

Sanctitatis Vestrae humill. devotiss. et obed.

servus

+Ignatius Rieder

Archiepisc.